

132

130

136

126

141

121

181

081

231

031

Ende

Anfang

121

certi dicentes. Troglodytae, qui loca eminentiora incolunt, dicunt, congregationes fontium apud se in lacum fieri, ex quo credunt Nilum esse. Sed nihil iterum affirmant. Ideo plures putant eum de coelo fluere, quod etiam gentiles scripserunt, inserentes fabulas Osiridis. Memphitici philosophi dixerunt, eum oriri ex opposita nobis zona, ubi est aestus, quando apud nos est hiems, et hac re nulli ad fontes Nili accessum patere, et quia per loca decurrit solis adusta ardoribus, dulcoratur ita, quod caeteras mundi aquas dulcedine superat. Vetustissimi interim poëtae dicunt, Nilum esse Oceani et Terrae filium, quod tantum est, quod Nilus ortum habet ex oceano, quo terrae immisso rursus e terra nascitur; sed hoc est commune omnibus fluminibus et terrae fontibus. Haec origo notatur Genes. 11., ubi dicitur: fluvius egrediebatur scilicet de abysso, id est matrice omnium aquarum. Antiqui poëtae dicunt, ut refert Diodorus antiq. historiar. c. 2., quod eo tempore, quo Osiris Aethiopibus leges edidit, circa Siricanis sit Nilus exortus et mox defluens maximam Aegypti partem inundavit, demergens praesertim eam partem, cui Prometheus praeerat, et damnificavit. Prometheus autem contra Nilum Herculem invocans, qui e vestigio contra torrentem se opponens aquarum compressit impetum et Promethei partem redemit. Alii dicunt, ut Solinus, quod originem habet a monte inferioris Mauritaniae, quae propinquat oceano protinusque lacus fit, quem Nilidem dicunt, sed hoc lacu effusus arenis absorbetur et cuniculis coecis absconditur. Deinde in Caesareae lacu ampliori prorumpit et iterum ab arenis receptus absconditur, quasi dedignet excurrere hiatu terrae, nec appareat, antequam excursis XX diaetis itineribus per deserta atque inaccessa loca erumpit in terras iterum et ex eo fonte prosilit, quem Nigrum vocavere, exinde autem palam procedens totam Aegyptum et Aethiopiam transfluit usque in mare mediterraneum. Alii dicunt, eum ex fonte quodam prodire, qui apud Hesperos Aethiopas existit, qui Pyrus ab incolis appellatur. Alii asserunt, eum in littore maris rubri emergere, in loco appellato Massilone et inde per mirabiles et longos circuitus Aegypti aequora subintrare. Alii dicunt, in Oriente esse insulam quandam, quam Phile nominant, asperam et undique praeruptam, quae duobus amnibus ibi coëntibus tingitur, quorum effluxus in Nilum mutatur. Ab hac ergo insula Nilus magnus magis quam violentus egressus per arduas

